

verteretur in odium. Illa enim Regula potissimum valet, quando Regula, seu Privilegium concessum est a Principe motu proprio; Confirmatio autem Abbatissæ pro secundo triennio solet concedi ad instantiam Monialium, quæ dum petunt illam, censentur petere secundum naturam, quam habet de jure officii Abbatissæ, scilicet ut subsequatur vacatio pro triennio subsequenti.» Cur non idem dicendum de Confessario? ut tenet Auctor dict. n. 13.

(91. Tametsi agatur de Monasteriis exemptis, et Regularibus subjectis, ad Episcopum pertinet cognoscere, tum approbare, an Confessarius Regularis debeat pernoctare prope ipsa Monasteria ex causa distantie Conventuum, ut statuit Alexander VII, in Constitutione, quæ incipit *Felici*.

(92. Vide et alia de Confessario præsertim extraordinario monialium apud Constitutionem S. M. Benedicti XIV, cui initium est: *Pastoralis curæ*.

(93. Confessarius Regularium. Vide verb. *Approbatio art. 2.*

#### ARTICULUS V.

*Confessarius quoad ea, quæ concernunt sollicitationem (1).*

(1. Ad coercendam sacrilegam, et execrabilem sollicitationem ad turpia in Sacramentali Confessione, vel occasione, seu prætextu ejusdem, variæ sunt editæ Pontificiæ Constitutiones, et signanter a Pio IV. Constitut. incip. *Cum sicut nuper*, a Paulo V. Constitut. incip. *Dilecte fili*, a Gregorio XV. Constit. incip. *Universi Domini Gregis*. Quæ Gregorii Constitutio, cum sit norma, et regula in hac materia habenda, in hoc V. articulo ad litteram dandam arbitramur.

#### GREGORIUS PAPA XV,

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Universi Domini Gregis curam quamquam immeriti cœlesti dispositione gerentes sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus præviis contagiis conservetur immunis, multoque majori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne, quod Evangelica scripta Nos admonent, sale infatuato, non sit in quo saliat, et ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.

§ 1. Quoniam autem a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur: videlicet ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confessiones deputatus Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, sollicitando Pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, et ex cœlesti medico infernalis ve-

(1) Vide verb. *Complex Peccati*, etc. et verb. *Confessarius*, art. 5, a n. 12, ad plures seqq.

neficus, ex patre spirituali proditor execrabilis Animarum reddatur; ideo Nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nulli desiderentur, quantum ex alto conceditur, providenda duximus.

§ 2. Alias siquidem a fel. rec. Pio Papa IV. Prædecessore nostro emanarunt Literæ tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispanen. in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali. Cum sicut nuper, etc.

§ 3. Igitur ut Literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, et ubique Locorum inviolabiliter observentur, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinal. contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, præinsertas Literas hujusmodi, ac omnia, et singula in eis contenta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, approbamus et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, illasque, non solum in prædictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmiter, et inviolabiliter observari præcipimus, et mandamus.

§ 4. Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, et de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, et declaramus: quod omnes et singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum Regularium, cujuscumque Dignitatis, et Præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonestam, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis, in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulant ibidem Confessiones audire; sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sac. Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, et Locorum Ordinarios, omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et Locorum Universi Orbis Christiani in suis quemque Diocœsibus, et Territoriis per has nostras Literas, etiam privative quoad omnes alios, specialiter ac perpetuo Judices delegamus, ut super his, contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones, privilegia, Consuetudines, et Decreta diligenter inquirent, et procedant, et

quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate et circumstantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, dignitatum, et Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, et passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad trimeses et carceres, etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant; eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curia Sæculari puniendos tradant.

§ 5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei tam perniciosum, ob probationum defectum, impunitum (cum difficilis sit probationis), testibus etiam singularibus concurrentibus, præsumptionibus, indicis, et aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, et Curia Sæculari, ut præfertur, reum tradendum esse, pronuntiandi.

§ 6. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis Literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus seu Locorum Ordinariis prædictis, quod si hoc officium prætermiserint, vel Pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes ut supra, iidem Locorum Ordinarii, et Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

§ 8. Volumus autem, ut præsentium transmissis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra ubique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§ 9. Quodque eadem præsentibus Literæ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Joann. Lateranen., ac Principis Apostolorum de Urbe, et in Acie Campi Floræ affixæ, omnes ita ardent, et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majori sub annulo Piscator. die 30 Augusti 1622 Pontif. nostri anno II.

(2. Hanc vero Gregorii XV. Constitutionem Benedictus XIV, An. 1741, confirmavit, ampliavit et extendit, altera sua Constitutione incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, in qua et reservat Papæ pro tempore existenti absolutionem eorum, qui falso Sacerdotes de sollicitatione accusant, aut procurant, ut ab aliis falso accusentur.

(3. Unde sollicitatio quantum ad propositum non est nisi provocatio, seu incitatio facta verbis, scriptis, signis, nutibus, osculis, aut tactibus ad turpia, et inhonestam, idest

ad res carnales, seu venereas. Sic in re Communis Doctorum.

(4. Per personas sollicitantes intelliguntur hic omnes, et singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque dignitatis, aut Præeminentiæ existant. *Communis* per expressa verba dictæ Gregorianæ Constitutionis § 1.

(5. Hinc sollicitans dicitur, et est denunciandus etiam Sacerdos non Confessarius, qui se fingens Confessarium, fœminas, seu adolescentulos ad turpia, seu carnalia provocat, et incitat. De ipso enim Sacerdote verificatur, quod sollicitet prætextu Confessionis, quod sufficit de mente dictæ Constitutionis, etiam Sacramentali Confessione non secuta, ibi: « Vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Sacramentali Confessione non sequuta. » Et sic tenent Diana part. 1, tract. 4, resol. 17, et part. 4, tractat. 3, resolut. 8. Sanctius in Selectis disput. 11, num. 39. Acugna tractat. de Confess. sollicit. 14, num. 4. Joannes Angelus Bossius in Appendic. ad tractat. de tripl. Jubil. privileg. dub. 9. Felix Potestas tom. 2, part. 3, cap. 2, num. 483. Rosignol, de Pœnitent. part. 1, quæst. 7, art. 21, num. 4, et seq. Castropal. et alii plures contra Bordon. Leandr. et alios volentes non esse denunciandum.

(6. Laicus autem fingens se Sacerdotem, et Confessarium, si sollicitet in Confessione, non est ex vi dictæ Constitutionis denunciandus ut sollicitans, quia dicta Constitutio expresse loquitur solum de Sacerdote, qualis non est Sacerdos fictus. Si autem voluisset etiam Sacerdotem fictum comprehendere, expressisset; quod enim voluit, expressit, argument. cap. *Inter corporalia* 2, de translat. Episcop. § *Sed neque istud*, cap. *Quia circa* 22, de privileg. et cap. *Ad audientiam* 12, de Decimis. Tum quia odiosa restringenda, cap. *Odia* 15, de Regulis Juris in 6. Et in pœnalibus benignior interpretatio facienda est, leg. *Factum* 135 ff. de *Regulis Juris* § 2, ibi: « In pœnalibus causis benignius interpretandum est, » cap. In pœnis 49, de *Regulis Juris* in 6, ibi: « In pœnis benignior est interpretatio facienda. » Et concordat leg. *Cum quidem* 19, ff. de *liberis*, et cap. *Statutum* 22, de election. in 6. Et sic defendunt Rodericus de Acugna tractat. de Confessar. sollicitat. quæst. 13, num. 1, et seq. Diana part. 1, tractat. 4, resolut. 13, part. 4, tractat. 5, resol. 9, part. 10, tract. 14, resol. 42. Castropal. tom. 1, tract. 4, disp. 9, punct. 9, num. 5. Leander de Sacram. Pœnitent. tractat. 5, disp. 13, a quæst. 36. Joann. Angelus Bossius in Appendic. ad tract. de tripl. Jubil. privileg. dub. 10. Felix Potestas loc. cit. num. 489. Rosignol. loc. cit. num. 7. Viva ad prop. 6. Alexandri VII. num. 9, et alii contra Escobar, Trimarchium, et Freitam tenentes contrarium.

(7. Talis autem Laicus esset denunciandus tamquam suspectus de hæresi ex aliis Pontificiis Constitutionibus, et signanter ex Constitut. Gregorii XIII. incip. *Officii nostri partes*; præsertim si simul audisset Confes-

sionem, et absolutionem dedisset; et utramque qualitatem requiri, tenent passim Doctores ex verbis dictæ Constitutionis Gregorii XIII. ibi: « Si confessiones audire, et absolutionem impertiri ausi fuerint; » quamvis tamen ex Constitutione Clementis VIII. incip. *Alias*, edita die 1 Decemb. 1601. non videatur requiri dicta qualitas, scilicet quod absolutionem impertitus fuerit, cum in ipsa Constitutione Pontifex subdat correctioni Inquisitorum eos, qui absque Presbyteratu audent Confessiones audire, nec ibi requiratur qualitas, quod absolutionem impertiti fuerint, ut inter alios recte notat Rosignol. loc. cit. num. 9.

(8. Foeminae sollicitantes in Confessione Confessarios ad inhonesta, non sunt denunciandæ. *Communis*. Et ratio est, quia Lex mandat denunciari Confessarios, et non Pœnitentes sollicitantes, adeoque non est extendenda contra Pœnitentes sollicitantes Confessarios ad turpia, cum pœnalia non sint extendenda ultra expressa, argument. cap. *Statutum* 22, de election. in 6. ibi: « Cum sit pœnale restringi potius convenit, quam laxari » et aliis citatis Juribus supra num. 6.

(9. Per personas sollicitatas intelliguntur hic foeminae, et mares, puellæ, et pueri. *Est jam Communis* post dictam Constitutionem Gregorii XV, per verba inibi expressa: « Qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda. » Ly enim: *Quæcumque illæ sint*, additum personis; importat utrumque sexum.

(10. Hinc tam mares, quam foeminae quæcumque, etiam Moniales, et mulieres nobiles sollicitatæ a Confessariis ad turpia tenentur ipsos denunciare. Et si valde vereantur id per se personaliter facere, monere debent Episcopum, seu Inquisitorem, ut mittat ad eas internuntium pro denunciatione recipienda, et satis expediens est, ut delegetur, seu mittatur Confessarius, ut recipiat in Scriptis, et cum juramento denunciationem juxta decretum Inquisition. Roman. jussu Urbani VIII. 27 Septembris 1624. apud Bordon. cap. 23. *de Sollicitat.* num. 89. his verbis: « E quando il Penitente tuttavia persiste nella medesima ritenenza, N. S. si contenta che dal Vescovo, o Inquisitore si dia autorità al Confessore di ricercare per scrittura, e con giuramento, la dinunzia per portarla subito a chi gli avrà data l'autorità di pigliarla. »

(11. Sollicitatio autem fieri potest pluribus modis, nempe scriptis, verbis, signis, nutibus, tactibus, osculis, et hujusmodi. *Communis*.

(12. Unde Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti, sive foeminae, sive mari chartam postea legendam, in qua ad Venerem provocat, allicit, seu incitat, tanquam vere sollicitans est denunciandus. *Communis*; et patet aperte ex propositione 6. inter merito damnatas ab Alexandro VII. die 7 Septembr. 1665. ibi: « Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in

qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus. »

(13. Item vere sollicitat, et est denunciandus Confessarius ille, qui per inhonestos sermones Pœnitentem ad Venerem allicit, seu incitat. *Communis* per verba dictæ Gregorianæ Constitutionis, ibi: « Aut cum eis illicitos, aut inhonestos sermones, sive tractatus habuerit. »

(14. Et sic vere sollicitat, et denunciandus est Confessarius ille, qui in actu Confessionis, vel immediate ante, seu post, dicit Pœnitenti: « Si ego essem sæcularis, vellem te solam ducere in uxorem. » Vel et dicit: « Memento mei, quia ego te ex toto corde diligo. » Vel: « Permite me, ut in domum tuam veniam, et amorem meum tibi ostendam. » Vel pulchritudinem ipsius lascivis verbis commendat, et laudat, et hujusmodi. Diana part. 9. tractat. 9. resolut. 32. Rosignol. loc. cit. num. 25. Felix Potestas loc. cit. n. 558 et 565. et alii plures contra paucos alios: Et ratio est, quia similia verba sine aliqua occasione in Confessione, seu immediate ante, vel post dicta, sunt impertinentia ad Confessionem, et vehementer provocativa, et incitativa ad Venerem.

(15. Item vere sollicitat, et est denunciandus Confessarius ille, qui signis, nutibus, osculis vel tactibus lascivis Pœnitentem incitat, seu provocat, vel allicit ad actus venereos; ut si eam osculetur, vel fixis aspectibus lascivis, aut signis vere libidinosi ei suum impurum, et inhonestum amorem studeat aperire. Vel ei suas verecundas partes ad id ostendat, seu ille ipsius tangat pedes, seu manus libidinose premat, et hujusmodi. Sic in re *Communis* per verba dictæ Gregorianæ Constitutionis, ibi: « Ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda. » Similia enim sunt omnia provocativa, incitativa, seu allicitiva ad Venerem.

(16. Item sollicitatio fieri potest in pluribus, et diversis temporibus, nempe vel tempore actualis Confessionis, seu immediate ante, vel immediate post, seu occasione, vel prætextu Confessionis. *Communis* per verba expressa dictæ Constitutionis, ibi: « In actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis. »

(17. Unde Confessarius, qui tempore actualis Sacramentalis Confessionis aliquo ex supradictis obscenis modis Pœnitentem ad venerea, et inhonesta allicit, seu incitat, vere sollicitat, et est denunciandus. *Communis*, per ipsa clara verba dictæ Constitutionis: « In actu Sacramentalis Confessionis. » (18. Et talis Confessarius est denunciandus, etiamsi non pro se, sed pro alio, seu nomine alterius sollicitet. *Communis*, et clare habetur ex dicta Gregorii Constitutione, ibi: « Qui personas, quæcumque illæ sunt, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda. » Et infra: « Aut cum illis illicitos, et inhonestos sermones, aut tractatus habuerint. » Qui enim

incitat, seu allicit, vel provocat ad inhonesta, et venerea cum aliis patranda, utique illicitos et inhonestos sermones cum incitato, seu provocato habet.

(19. Confessarius, qui in Confessione per inhonesta verba cœpit sollicitare foemina ad turpia, quæ eidem consensit, sed post illa verba statim desistit, nec tunc Confessarius impendit absolutionem sed differt tum complementum sollicitationis, tum absolutionis, hoc non obstante, est denunciandus. *Communis*. Verificatur enim de ipso, quod « in Confessione habuerit cum Pœnitente illicitos, et inhonestos sermones seu tractatus, » quod sufficit secundum Bullam ad incurrendas pœnas contra sollicitantes inflictas.

(20. Confessarius, qui foemina pœnitentem ante incœptam Confessionem, et dilata in aliud tempus Confessione osculis, seu verbis, aut tactibus obscenis sollicitat, est tanquam verus sollicitans denunciandus. *Communis*. Ipse enim sollicitavit Pœnitentem *immediate ante Confessionem*, ut loquitur Constitutio, et licet non sit sequuta Sacramentalis Confessio, adhuc Pontifex præcipit esse denunciandum, ibi: « Etiam ipsa Sacramentali Confessione non sequuta. »

(21. Item denunciandus est Confessarius, qui immediate post Confessionem, et datam absolutionem, tradidit Pœnitenti chartam postea legendam, quæ continet verba incitantia, et provocantia ad Venerem. Sanctius in Selectis disput. 11. n. 31. Rosignolus l. cit. sect. 3. num. 17. Viva ad proposit. 6. Alexandri VII. num. 5. et 7. vers. Ad ultimam. Favet dicta damnata propositio allata supra num. 11. Et sic tenent plures alii contra Castropal. et alios sentientes contrarium. Et ratio est, quia quantum est ex parte Confessarii tunc immediate post Confessionem, ut loquitur Bulla, incipit Sollicitatio. Non enim requiritur, quod actio illa externa appareat mala immediate, quando Pœnitens accipit chartam, sed sufficit, quod deinde innotescat malitia illius actionis externæ Confessarii, ut sit denunciandus; sicut si immediate post Confessionem sollicitaretur Pœnitens verbis ambiguis, et deinde adverteret, quod certo ea verba in sensu sollicitatorio prolata fuerint, sine ullo dubio talem Confessarium, uti vere sollicitantem teneretur denunciare.

(22. Item denunciandus est Confessarius, qui post auditam Confessionem adolescentis, quem novit fuisse pluries sodomitice cognitum, immediate ipsum ducit ad proprium cubiculum, et ipsum ad turpia sollicitat; vel ipsi statim post Confessionem dicit: Veni hodie ad meam domum, et tradam tibi Chirographum tuæ Confessionis et ipsum illuc perrectum, ad inhonesta, et venerea sollicitat. Diana part. 4. tract. 4. resolut. 11. et tract. 5. resolut. 77. Leander de Sacrament. Pœnitent. tract. 5. disput. 23. quæst. 35. Sousa lib. 1. cap. 34. n. 39. Rosignol. loc. cit. sect. 3. num. 16. Felix Potestas loc. cit. num. 507. et alii. Et ratio est quia de tali Confessario verificatur, ut prætendit Bulla, quod sollicitaverit *immediate*

post Confessionem, cum hujusmodi sollicitationes sint actiones continuatæ cum Confessione per signum externum per se ordinatum ad inhonesta datum immediate post Confessionem.

(23. Item denunciandus est Confessarius, qui foemina in Confessione cognitam adulteram, et post ipsam Confessionem pro aliquo notabili tempore in Ecclesia commorantam in recessu ad suam domum sollicitat; vel ad ejus domum eadem die hac occasione pergit, ibique eam sollicitat. Sic defendunt Lezana in Summa qq. Regul. c. 19. n. 34. Bordon. in Manual. consult. sect. 25. num. 38. Peyrinus, et Hurtadus apud Felicem Potestatem loc. cit. n. 503. qui licet cum Leandro, Diana, Castropal. et aliis sequatur sententiam contrariam, nempe non esse talem Confessarium denunciandum, tamen ibid. n. 504. concludit, quod nostra sententia affirmativa valde sibi arrideat, si sollicitatio contingat eodem die, et ex peccato carnis in Confessione audito, quia videtur facta occasione Confessionis, qua cognovit Pœnitentem proclivem ad Venerem, et præsertim si sit facta eodem die, cum Hurtadus absolute velit, quod peccatum carnis a Confessario cum Pœnitente commissum intra 24. horas post Confessionem sit casus denunciationis. Talis enim sollicitatio facta eodem die censetur facta incontinenti, argument. leg. *Quod ait* 23. § 4. ff. Ad Legem Juliam, *de adulteriis*, ubi dicitur, quod si Pater occidat filiam deprehensam adulteram eodem die, interpositis horis, censeatur incontinenti occidisse, ibi: « Sed dum adulterum occidit, profugit filia, et interpositis horis, adprehensa est a patre, qui persequatur, incontinenti videbitur occidisse. » Et sic tenet etiam Graff. tom. 1. consil. lib. 4. de cognat. spirit. consil. 1. a num. 37. et de casibus reservatis lib. 2. cap. 12. num. 30. et alii. Quamvis tamen Rosignol. loc. citat. sect. 3. num. 16. et 18. Scortia in Bull. Pontificum epist. 77. Theor. 197. Leander, Diana, Castropal. et alii sustineant oppositum.

(24. Item denunciandus est Confessarius, qui vocatus hodie a muliere ad audiendam ejus Confessionem domi, sequenti die, illuc perrectus, eam postposita Confessione sollicitavit. Bordon. in Manual. consult. sect. 25. num. 38. Felix Potestas l. cit. n. 510. et alii. Et ratio est, quia ipse vere sollicitavit occasione Confessionis, ut vult Bulla, cum occasionem sollicitandi acceperit a Confessione petita a persona vere confiteri volente.

(25. Item denunciandus est Confessarius qui hodie mulierem, pro sequenti die ad Confessionem invitat, et ipsam, antequam accedat ad Confessionarium, prævenit, et sollicitat. Bordon. loc. cit. n. 39. Felix Potestas loc. cit. num. 512. et alii. Et ratio est, quia in tali Confessario verificatur, quod dicit Bulla, nempe quod sollicitet prætextu Confessionis; Dicitio enim sub prætextu idem significat, quod sub velamine, vel colore alicujus rei, quæ non est.

seu falsa est, vel jam desinit esse, leg. *Sub pretextu* 19. Cod. de transaction. adeoque, etc.

(26. Item sollicitatio fieri potest in pluribus et diversis locis, nempe vel in Confessionario, aut loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo. *Communis* per expressa verba in toties citata Gregoriana Constitutione, ibi: « Sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo. »

(27. Unde Confessarius in Confessionario sedens, si mulierem ad se accedentem non ut confiteatur, sed alicujus negotii causa sollicitet, est denunciandus. Sic Diana part. 1. tract. 4. resol. 18. part. 4. tract. 5. resol. 38. Bordon. in sacro Tribunal. c. 23. n. 6. Rosignol. l. cit. sect. 3. n. 12. et 13. Felix Potestas l. cit. n. 522. et 523. Escobar, Trullench apud Leandrum de Sacram. Pœnit. tract. 5. disp. 23. qu. 30 et habetur expresse decisum in decreto Pauli V. ut sequitur.

*Feria V. die 10. Julii 1614.*

« In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico coram S. S. D. N. D. Paulo Divina providentia Papa V. etc. facta relatione, quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in Confessionali extra occasionem Confessionis de rebus inhonestis: S. S. decernit, ut contra hujusmodi Confessarios procedatur in Sancto Officio. »

(28. Nec valet objicere cum Leandro loc. cit. quæst. 30. et apud ipsum Freita, Fagundez, Sousa, Castropalao, Lezana, Sanctio, Hurtado, Bossio, Donato tom. 3. tractat. 13. quæst. 53. et aliis, quod dictum Decretum Pauli V. fuit moderatum, ac restrictum a Gregorio XV in citat. Constitut. *Universi Dominici Gregis* ad terminos simulationis Confessionis in Confessionario, per illa verba: *Simulantes ibidem Confessiones audire*. Non valet, inquam, quia illa verba; *Simulantes ibidem Confessiones audire*, non referuntur ad sollicitationem factam in Confessionario, sed in aliis locis, in quibus ex electione Confessarii quandoque audiuntur Confessiones; quæ loca secundum se sunt indifferentia pro quocumque munere. In his enim requiritur simulatio Confessionis, ut fiat determinatio, quæ limitatio non videtur requiri, quoad Confessionarium, cum hoc ex se sit determinatum ad hoc munus.

(29. Hinc denunciandus est Confessarius, qui in loco, ubi Confessiones audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electum, simulans ibidem Confessiones audire, mulierem ad inhonestam, et venerea sollicitat. *Communis* per verba expressa in toties repetita Gregoriana Constitutione ibi: « Aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacra-

(1) Sententia eximens ab onere denunciationis nullo modo tenenda est, ut Constitutiones Pontificias consideranti manifestum fit.

mentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint. » (30. Confessarii sollicitantes Pœnitentes in Confessione, vel occasione, seu pretextu Confessionis tam in Confessionario, quam in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo non ad venerea, seu turpia in hoc genere, sed ad alia peccata, non subjacent pœnis sollicitantium, nec ut tales sollicitantes sunt denunciandi. Sic Rosignolus loc. citat. sect. 2. num. 11. Peyrinus tom. 2. privileg. Minimorum in Constitut. IV. Gregorii XV. num. 7. Lezana in Summa qq. Regularium tom. 1. c. 19. num. 34. Sanctarell. in tractat. de hæresi 44. num. 19. Bonacina de onere, et obligat. denunciati. 6. punct. 3. num. 13. Venerus de examin. Episcop. lib. 5. cap. 17. num. 18. Sanctius in Selectis disput. 11. num. 23. et alii. Et ratio est, quia dicta Gregoriana Constitutio, sicuti, et aliæ præcise loquuntur de sollicitantibus, seu provocantibus, et incitantibus ad venerea, et inhonesta, unde extra illa non est facienda extensio per citata Jura supra n. 5 et 7.

(31. Item denunciandi non sunt ex vi dictarum Constitutionum Pontificiarum Confessarii, qui Pœnitentes sollicitant, non in Confessione Sacramentali, sed in aliis Sacramentis, nempe in ministracione Baptismi, Eucharistiæ, etc. Sic Rosignolus loc. cit. sect. 2. num. 9. Diana part. 4. tractat. 15. resol. 16. Rodericus Acugna tract. de Confessario. sollicit. quæst. 16. num. 4. Sanctarelli. loco cit. cap. 46. num. 5. Bonacina loco cit. num. 14. Sanctius loc. cit. num. 42. Lezana in Summa qq. Regular. tom. 1. cap. 19. n. 34. et alii. Et ratio est eadem, quæ adducta est *num. antecedenti*, quia dictæ Pontificiæ Constitutiones loquuntur præcise de sollicitantibus in Confessione, non autem ministracione aliorum Sacramentorum, adeoque non est facienda extensio per citata Jura supra num. 5 et 7.

(32. Item propter eandem rationem Rosignol. loco cit. sect. 1. num. 14. Lezana loco citat. num. 34. Peyrin. loc. citat. num. 9 et 10. Bonacina loc. citat. num. 17. Sanctarell. loc. cit. cap. 46. num. 2. Sanctius loc. cit. n. 25. Homobonus de examin. Eccles. tom. 2. tractat. 11. c. 12. quæst. 26. Donatus tom. 3. tract. 13. quæst. 53. Thomas Hurtadus, Portell. Castropal. Freita, Bossius, Delbene, et alii citati licet non secuti a Felice Potestat. loco citat. num. 579. defendunt, quod Confessarius feminae sollicitanti consentiens non sit denunciandus, quia Bulla loquitur solum de Confessariis sollicitantibus qualis non est iste. Nec consensus per ipsum præstitus feminae sollicitanti constituit illum reum sollicitationis activæ, sed reum passivæ culpabilis; pœnæ autem inflictæ contra sollicitantem activum, non extenduntur ad passivum, argument. in citatis Juribus supra num. 5 et 7 (1). (33. Diana autem part. 4,

tractat. 5. resolut. 4 et 42. Leander tract. 5. de Pœnitentia disput. 13. quæst. 43. Felix Potestas loco citat. num. 579. Fagundez, et alii tenent, talem Confessarium esse denunciandum, quia licet de ipso non verificetur, quod sit sollicitans, sed sollicitatus, verificatur tamen de ipso, quod cum Pœnitente habeat illicitos, et inhonestos sermones, seu tractatus pretextu, seu occasione Confessionis, quod sufficit pro debito ipsum denunciandi ex præcisis verbis d. Gregorianæ Constitutionis, ibi: « Aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. » At vero primæ negativæ sententiæ Patroni inter alias responsiones dicunt, talia verba, seu tales tractatus intelligenda, seu intelligendos esse, quando ortum habuerunt ab ipso Confessario, quod colligitur ex contextu verborum, nam Bulla dicit denunciandos esse illos Confessarios qui Pœnitentes sollicitare, aut provocare tentaverint, aut cum eis, hoc est Pœnitentibus, illicitos, aut inhonestos sermones, seu tractatus habuerint. Ly autem *Cum eis*, cum sit sermo continuatus, habet connexionem cum præcedentibus, quæ indicant tentamentum factum a Confessario, et propterea important sermonem, seu tractatum inductum in origine ab eodem Confessario, quod non verificatur in hoc casu, cum talis illicitus, aut inhonestus sermo, seu tractatus inductus sit in origine a Pœnitente sollicitante, et non a Confessario sollicitato.

(34. Pœnitentes tenentur sub mortali denunciare Confessarium sui sollicitatorem Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis; et de tali obligatione tenentur etiam sub mortali eos monere Confessarii, qui eos fuisse ab aliis sollicitatos cognoverint. Agitur enim de re gravissima, et de execrabili et nefando abuso Sacramenti, et id sub positivo, et gravi præcepto expresse mandatur a Pontifice in d. Constitutione § 7 ibi: « Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu ut præfertur tractantes, Inquisitoribus, seu Locorum Ordinariis. »

(35. Denunciare Confessarium sollicitantem tenentur, non solum Pœnitentes sollicitati, sed etiam omnes illi, qui certo sciunt

(1) His assentitur P. Philippus a Carboneano in Appendice de Sollicitatione subjecta Tractatui P. Antoine de Pœnitentia Tom. 2. pag. 246. seq. ubi scribit: « Quæstio dumtaxat est, num denunciare teneatur, qui idem ex levibus, ac suspectis personis audierit? Tutior vero, et communior opinio est, hos quoque denunciare debere. Quia in causis ad sanctum Officium spectantibus admittuntur etiam testes inhabetes, excommunicati, perjuri, infames, etc., nec privati est, sed inquisitoris investigare, et discernere, num persona, ex qua audita fuit facta a Confessario sollicitatio, fide sit digna. Cujus quidem rei ratio est, quod hæreseos suspicionis crimen ita Christianæ reipublicæ perniciosum sit, ut ad illud extirpandum omnia adhibere oporteat media, atque adeo cujuscumque generis testes. Ad cohibendum vero hæc in re calumniatores SS. D. N. Benedictus XIV. in superiori Const. num. 5. pœnas in calumniatores, sive falsos delatores constituit, ut ibi legere

sollicitationem, quatenus nempe quis propriis oculis vidit, aut propriis auribus eam audivit, seu ex proprio ore Confessarii sollicitantis, aut Pœnitentis sollicitati, qui sit fide dignus, et bonæ famæ, immediate audivit, et bene intellexit. Diana part. 1. tractat. 4. resolut. 24. et part. 9. tractat. 8. resolut. 46. Freitas in addit. ad tractat. de Confess. sollicit. qu. 21. num. 26. Fagundez part. 2. lib. 4. cap. 3. num. 21. Rosignol loc. cit. sect. 2. num. 13. Tancred. tom. 4. tract. 1 de Pœnitent. quæst. 23. Felix Potestas loc. cit. n. 590. et alii passim.

(36. Si autem tales non bene recordentur verborum, vel non recordentur, a quibus audierint, vel audierint a personis levibus et non fide dignis, non teneri ad denunciandum docent Bordonus l. cit. n. 94. Tancred. t. 4. tract. 1 de Pœnitent. qu. 23. Leander loc. cit. quæst. 57 cum Trullench, Rodriq. Portell. Cordub. Navarro, et Hurtado ibi citatis, et alii plures; quia dicunt in dubio sollicitationis non est onus denunciandi, cum in dubiis ex una parte quisque suam possideat libertatem, meliorque sit conditio possidentis, cap. *Ad aures* 6 de præscriptionibus. cap. *Quod autem*, 5 de Jurepatronat. cap. *In pari* 65 ff. de *Regulis Juris* leg. *Nemo* 126, § 2, ff. de *Regulis Juris*, et leg. *In pari* 128 ff. *eodem*. Et ex alia parte favendum sit Reo, argument. cap. *Sunt*, de *Regulis Juris* in 6, et promptiora sint Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, c. Ex literis 3 de probationibus, cum similibus. Tunc quia dubia in meliorem, et benigniorem partem sunt interpretanda, leg. *Ea quæ* 192, ff. de *Regul. Juris*, ibi: « In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius. » Et concordat lex *Semper* 56, ff. *eod.* ibi: « Semper in dubiis benigniora præferenda sunt, » et leg. *Si fuerit* 10, ff. de *rebus*, ibi: « In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet, » et cap. *In obscuris* 30, de *Regulis Juris* in 6, ibi: « In obscuris minimum est sequendum, » cum similibus. Diana tamen part. 4. tract. 5. resol. 28. Felix Potestas loc. cit. num. 592. Spatharius, et alii tenent contrarium (1).

(37. Moniales, et Mulieres nobiles sollicitatæ a Confessariis tenentur eos denunciare,

est. » Verum ab eodem discrepat P. Giraldi, qui in *Exposit. Juris Pontificii* Part. 1. in Append. ad sect. DCCCIX, pag. 640, hanc ad descripta verba animadversionem apponit: « Cautius tamen procedendum crederem in firmanda obligatione denunciandi ob auditum ex levibus ac suspectis personis. Si enim Inqu. Supr. ad hoc Dub. XIV. relat. p. 653. *An quis teneatur denunciare Confessarium sollicitantem, si hoc audivit non solum a fide dignis, sed a levibus personis?* die 2. Februar. 1661, respondit: *Censuerunt, opinionem negativam non carere probabilitate*; itaque omnia responsa approbata fuere, et confirmata per Bullam, *Sacramentum Pœnitentiæ* a Benedicto XIV. idemque docent tot alii, et quidem præclari DD. Profecto non video, qua ratione communior, et quodammodo plausibilior venditetur opinio eandem obligationem imponens, cum præcise quis id audivit a levibus, ac suspectis personis. » (*Edit. Barbiell.*)